

FRATRIS
HYACINTHI
SERREY

PRIMARI THEOLOGI PATAVINI

Animadversiones Anticriticae.

In Historiam Sacrae familiae ab Antonio Sandini
J. U. D. novissime Scriptam.

UM censurarum, quas in me tanta libertate distringit, novissimus Aristarchus, initium fecerit pagina nostra scripta ab ipso Historiae sacrae familiae, ubi de loco Christi nascentis incipit disputare: inde quoque Animadversionum mearum ducam exordium; quibus momenta illius omnia diluam, famamque meam ab illius insultationibus vindicabo. Hinc viderint eruditi, rerum istarum æquissimi iudices, eane moroso Censori bene cesserit alea, aliorumque lucubrationes arrodendi, mordendique libido. An potius ille ipse sit de quo Horatius lib. 2. ferm. sat. 1.

Qui fragili querens illidere dentem
offendit solido.

CAPUT I.

De loco Christi nascentis.

In Sandiniana Censore.

ANIMADVERSIO I.

PRima in me districta censura sua Exercitationem meam trigessimam imperit, ac maxime Paragraphum illius secundum, ubi Christum Dominum natum probo extra Bethleemum ipsum, in agro tamen suburbano, urbi seu vico conjuncto. Idque sacris litteris nihil repugnare contendit, Christum in Bethleem natum attestantibus, quia nomine Bethleem, alteriusve Urbis aut Vici, ipsa quoque suburbia veniunt, agerque conjunctus.

Id dum agerem probaretque, sententia hujusce meae auctorem produxi Divum Justinum in Dialogo cum Tryphone Judæo; cuius verba tamen non protulerim, tu tamen plenissime recitasti pag. 12. Et tamen, quis credat, tu ipse in Censorem meum de repente conversus, de gravi supercilio audaciam mihi fidenter exprobas; quasi Justinum, quem hujusce sententia meae auctorem dixeram, violassem, ac corripissem. Non video, inquis, quomodo præclarus Theologus Jacobus Hyacinthus Serrey Exercitatione 30. §. 2. secutus Justinum poterit effari illud: Natum extra Bethleemum in agro suburbano fidenter pronuncio.

At ego multo minus video, quomodo præclarus Historicus Antonius Sandinus, non omnino dormiens, illud de me effari poterit. Quandoquidem Divus Justinus, in hoc ipso a te descripto illius fragmento, Christum extra Bethleemum in agro suburbano natum affirmat, verbis sin minus syllabam istidem, ac certe idem plane signi-

ficantibus: Quoniam Joseph, inquit Sanctissimus Doctor, & martyr, non habebat in Vico illo Bethleem ubi diverteret, in specu quodam prope Vicum diverit; & cum illi essent ibi, peperit Maria Christum, & in presepe illum posuit, ubi venientes ex Arabia Magi invenierunt eum. Quid queso rei est Sandine; specus illa prope Vicum Bethleem, ubi diverit Joseph, cum non haberet in Vico ubi diverteret, & in quo cum essent, Maria peperit Christum, nisi antrum aliquod extra Bethleem in agro suburbano situm?

Unde & viri ætate nostra summi, in Historia Ecclesiastica versatissimi, Natalis Alexander in Sinopii Historiae primi fasci art. 4. & Clarissimus Tillemontius Annotatione 3. in Historiam Christi Domini, in hoc ipsum quod tu exscriptisti Divi Justinii fragmentum intenti, hanc esse sanctissimi martyris mentem atque sententiam, quam ego illi attribui, pronunciarunt. Sain Justin dit que la caverne ou Jesus est né, n'etoit pas dans Bethleem, mais auprès. . . . Divus Justinus ait, antrum in quo natus est Jesus, non fuisse intra Bethleemum, sed prope Bethleemum. Quod idem ante Tillemontium & Alexandrum observaverat Cardinalis Franciscus Toletus Annotatione 10. in caput 2. Lucæ: Annotandum est, inquit, Divum Justinum in Dialogo cum Tryphone, affirmasse, speluncam hanc non fuisse intra Bethleem sed prope. Immo in eundem pariter sensum Sanctissimi Martyris græcum contextum latine reddidit Sigismundus Galenius alter illius Interpres non ignobilis: Quia Joseph, vertit ille, non erat locus in Castello, quo diverteret, in speluncam quandam Castello propinquam diverit, Ubi Maria Christum recens natum in presepe deposuit. Ut plane videre debeat Censor morosissime, hanc mihi violati corruptique contextus Divi Justinii notam tanto supercilio affricuisse; quod Justinum securus scripserim, Natum extra Bethleemum in agro suburbano Christum Dominum fidenter pronuncio. Vides enim cum quibus tua maledicta sustineam; & quam mihi gloriosum sit, a te tuique similibus maledici cum talibus.

II. At decipit te, ut observo, fucumque fecit græcum Verbulum, initio transcripta a te periodi Divi Justinii positum. Interpres vertit, Nato tunc puero in Bethleem: quo significare videtur, prius in Bethleem natum fuisse puerum, quam Joseph exiret, & in specum prope Bethleem se reciperet. Verum si sic est, eumque sensum habet vocabulum illud; an non vides in hac una simplicique periodo, sibi ipsi palam aperteque contradixisse Justinum, Christumque bis natum enarrasse, primum quidem in Bethleem, postmodum in specu extra Bethleem; quod est absurdissimum.

No-

Noveris itaque Doctor eximie, Celeberrimos Divi Justinii Interpretes, ac inter illos maxime Joachimum Perionium Benedictinum, jampridem observasse, priora illa Græci contextus verba vitiosa esse, & loco illorum aliud quiddam suppleendum esse, quo significetur, puerum Jesum non tunc quidem fuisse natum, dum Joseph in Vico illo diverteretur, sed formatum tantum in utero Matris, ac proxime nasciturum. Ut vel sic vitetur turpis illa Divi Justinii contraditio, in quam illum conjicis imprudenter. Locus hic, inquit Perionius in suis ad Divum Justinum observationibus, propter Terminus quod est participium prioris indefinitum, pugnantia videtur continere. Repugnat enim puerum & in Bethleem natum esse, & natum esse in spelunca quadam, que Vico illi propinqua erat. Itaque legendum est fortassis. Qua de causa Sigismundus Galenius paulo ante laudatus, retenta in græco textu voce illa *ἐν τῷ βόθρῳ* latinam versionem tantillum inflexit, ita vertens: Cum autem puer nasceretur (hoc est iustate natalis hora) in Bethleem; quia Joseph non erat locus in Castello quo diverteret, in speluncam quandam Castello propinquam diverit, ubi Maria Christum recens natum in presepe deposuit: Ubi & a Magis invenit est, ex Arabia venientibus. Sic fane congruat universa; nec sibi ipsi contrariis esse Divus Justinus in una eademque periodo. Ad cum sane modum, quo de viro proxime morituro, summeque tunc testamentum condente, congrue loquimur si dicamus; cum Petrus E. G. moveretur, suum condidit testamentum: hoc est, dum mori proximus esset.

Hæc omnia cum te græci idiomatis, ut videbis, vis, scientissimum ignorasse impossibile sit; quis non videat, eo te præteriti temporis verbulum nato tunc puero studiosè abulum esse, ut Christum intra Bethleem natum evinceret: Non advertens te Divum Justinum ineptissime loquentem inducere; quasi Christum antea natum dixisset, quam eum pareret Virgo Mater. Immo & eo turpior abusus ille tuus est, quod est vocabulum illud (Nato puero) relinquatur in latina Divi Justinii versione, nec id quidem necessario significabit, quod ineptissime fugis; sed illud tantum, Christum tunc fuisse natum in Utero Virginis, seu conceptum, non ex Utero. Ad eum sane modum, quo Christus natus in Virgine dicitur est ab Angelo, sexto circiter mense, antequam illum pareret Virgo Mater: Joseph filii David nolite timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est, Matthæi Cap. 1. v. 20. Ecquid enim veteret Divum Justinum Evangelicam loquendi formulam usurpasse, eamque religiose fuisse mutuatam, in Christi nativitate enarranda?

III. Cæterum surda hic aure prætereo, quod de Bove & Afino Sandine dicis, quos in ea nati Salvatoris spelunca fuisse contendis, adversus nonnullos, ut vocas, strictioris criticæ homines. Cum enim in ea movenda questione, non sim a te singulariter, & ex nomine appellatus, ac provocatus, nolim ea de re contentiosis funem tecum ducere. Lectorem monere sufficiat, quæcumque ex Patribus attulisti, urutorum illorum animantium patrocinium sumeres, a Clarissimo Tillemontio tam aperte, tam dilucide fuisse dispuncta & explicata, in quinta Annotatione ad vitam Christi Domini, ut plane mirari subeat, eandem te naniam recinere voluisse, Prophetasque simul ac Patres in sensum litteralem atque historicum accipiendos contendisse: iis omnibus intraditis atque dissimulatis, quæ Clarissimus Tillemontius & ego in contrarium scripsimus, ut sensum Prophetarum ac Patrum allegoricum tueremur,

& historico præponendum evinceremus.

IV. Alteram quid diu morer præsentis tue censura partem, qua me pari libertate perstringis, quod Eusebii Cæsariensis contextum perinde falsarim, dum eum Sententia meæ (de Christo Domino, extra Bethleemum nato, in agro suburbano) auctorem alterum indicavi? Brevi compendio Censura tua depellitur, quæ sua ipsius fertilitate ac levitate dissipatur. Audiamus: Quod addit, inquis, Theologus Hyacinthus Serrey Eusebium lib. 9. Demonstrationis Evangelicæ Cap. 2. asserere agrum, Ubi Virgo enixa infantem deposuit, demonstrari juxta Bethleemum, aut doceat necesse est, ubi locum hunc integrum repererit, aut ultima verba [juxta Bethleemum] ab se se inserta fateatur. Ita enim habet contextus verborum Eusebii: „Et adhuc locum incolentes, scilicet Bethleemum, tanquam a Patribus ad ipsos profecta traditio, ne, iis qui locorum cognoscedorum gratia Bethleem proficisci confluxerant, testantur, sermonum probantes veritatem, per agri demonstrationem, in quo enixa Virgo deposuit infantem.

Importuno nugacique petitori respondeo, illum ipsum Eusebii locum, qui tibi oculos ulsit, apud Cardinalem Baronium a me fuisse reperiendum, sub ipsum istam Annalium Ecclesiasticorum initium pag. 59. Romæ Editionis; ubi sic legitur: Speluncam in qua natus est Christus, foris in agro suburbano positam fuisse; planum est Historicum Eminentissimum, hæc ipse a se recitata Eusebii verba, agrum demonstrantes, ubi Virgo enixa infantem deposuit, de agro suburbano intellexisse. Alias nihil Eusebii testimonio, & auctoritate probasset. Eo autem in capite si fultum Baronium existimas, Eusebii sensum perperam accepisse putas, quidni quoque illum una necum interpellas, ut doceat & ipse ubinam Eusebium repererit sic loquentem. Quod nisi fecerit Vir Emineatissimus, pari mecum saltati, truncatque Eusebii contextus fidenter accusa.

V. Sed tunc queso nugas agis, qui cum Eusebium, in recitato a te ipso fragmento, diserte affirmantem legas, Bethleem incolas demonstrare solitos esse alienigenis Agrum, in quo enixa Virgo deposuit infantem, doceri petis a me, tibi que probari, Agrum illum extra Bethleemum fuisse, non intra? Quasi vero intra Bethleem, quod passim Ecclesiæ Patres, ceterique Scriptores vicum, viculum, pagum, oppidulum exiguum, Castellum appellant, agri contineri poterint. Ex quo itaque Mariam Virginem, infantem in agro peperisse scripsit Eusebius, aliisque Ecclesiasticis Scriptores; nemo est, qui per sese non intelligat, agrum illum extra Bethleem fuisse, quin ultra doceri probarique necesse sit, extra Bethleem fuisse situm, qui intra situs esse non potuit.

C A-

CAPUT II.

De Pastoribus ad Christum natum
venientibus.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSI O II.

I. **T**Res tantum fuisse Pastores, qui Christum recens natum, adoratum venerunt, auctoritate venerabilis Bedæ probavi, atque defendi Exercitatione 31. §. 6. & ultimo. Eaque probata, atque defensa thesi observavi, Casaubonum quatuor retulisse Pastores, in Perpetuo Codice græco anonymo, in Palatina Heidelbergensi Bibliotheca assertato, memoratos, atque ex propriis nominibus appellatos. His ego verbis in eo facto referendo sum usus: Casaubonus Exercitatione 2. in Baronium quatuor fuisse contendit, quorum nomina ex perpetuo Codice græco anonymo, in Palatina Heidelbergensi Bibliotheca assertato representat, Misael, Achael, Stephanum, & Cyriacum. Quibus quidem verbis significatum tantum volui, Casaubonum contendisse, quatuor illorum pastorum nomina, in eo Heidelbergensi græco Codice, anre hac ignorato, contineri; non autem existimasse, seu ex propria sententia censuisse, quatuor re ipsa fuisse Pastores, iis nominibus nuncupatos. Quo plane modo factum hoc idem retulit Theophilus Raynaudus, in Diplicis Marianis, Tom. 7. pag. 87. ex quo ego, ut verum fatear, cum tunc Casaubonum non haberem ad manum, retuli fide integra: Quatuor fuisse Pastores ex vetusto Codice anonymi græci, qui erat in Palatina Heidelbergensi Bibliotheca, refert Casaubonus Exercitatione 2. in Baronium. Eorum iisdem nominibus indidem refert, Misael, Achael, Cyriacus, ac Stephanus. Hec refert ex eo Codice Sectarius, si tamen vera refert, & non comminiscitur. Ita ille, ita & ego.

At tu, qua es ingenuitate, ut cavillandi occasione arripes, verborum, quibus factum retuli, sensum adulterasti; meque Casaubono sententiam tribuisse commentus es, a qua ille abhorruit maxime, quamque ab eo dumtaxat historice narratam observaveram. Casaubonus, inquis, Exercitatione 2. §. 10. rejicit atque variolos dicit, qui quatuor fuisse Pastores existimant, & hæc illis nomina indiderunt, Misael, Achael, Stephanum, Cyriacum. Id cum ita sit, liquet Casaubonum non contendere atque affirmare, quatuor fuisse Pastores illos, quod cum contendere putavit Theologus Serry Exercitatione 31. §. 6. Declarans exemplo suo quamvis eruditissimos falli aliquando, ubi aliquid conniventes legunt.

Imo cum Theologus Serry numquam de Casaubono putarit, quod eum putasse comminisceris; sed falsum verbis, quibus factum illud enarravit, sensum affixeris; exemplo tuo declarasti, falli non aliquando dumtaxat, sed sæpe numero, aliorum librorum Censores, ubi animo in transfersum acto, ac præiudiciis occupato, illos evolvunt, & insanabili carpenti, cavillandi vitilitigandique cacothæ laborant.

II. Addiderim, Casaubonum, cuius acre iudicium in hac tractanda questione (quoto numero Pastores fuerint) æmulari videris, sententiamque refert, atque commendat, non ita ut putas, de tribus dumtaxat Pastoribus admittendis, esse sollicitum; & contra eos, qui simpliciter quatuor admitterent, iisque sua simpliciter darent nomina, non ita commoveri, ut eos propterea fanaticos, & impios dicat, sed in eos dumtaxat, qui iis nominibus ad magicas incantationes abutuntur. quod

uam Casaubonus impie vanitatis exemplum vocat. Unde productio recitatorum Codicis Heidelbergensis Fragmento quo dicitur: Nomina Pastorum qui fuerunt in Bethleem, Misael, Achael, Cyriacus & Stephanus: Magorum nomina, qui adorantur Dominum, Atoz, Sator, Parator. Nomina hæc si quis morsus a Serpente aut Scorpione, aut alio venenoso reptili, & fera, inscribat intra novam ollam, cum pingui tæda accensa & aqua benedicta in die Epiphania ollam abluit, atque porrigat iudici illius, qui morsus affectus est, statim sanatur qui morsus fuit: ita carpit, ac reprehendit Casaubonus: En nugæ sed impias, & impiorum execratione dignissimas. Quæ certe censura, nec in quaternarium Pastorum numerum, nec in afficta illis nomina cadit, sed in perversum nomen illorum usum ad magicas incantationes.

Eccur enim tantas in quaternarium Pastorum numerum iras, cum ab uno, quod sciam, ex tota retro antiquitate, Venerabili Beda, distincte rejectus fuerit, & quidem in libello de locis Sanctis, quem tu ipse subdubium nosti? Quid in quatuor illis nominibus, si sola spectentur, absurdum, quid mali Misael, Achael, Stephanus, & Cyriacus? Quod enim obijciat aliqui, Stephanum, & Cyriacum græca esse nomina, quæ viris Judæis, quales profecto Pastores erant, minime congruant, futilitatis est plenum. Quis enim nesciat Judæos, quo ex tempore Græcis paruerant, varia quoque græca nomina sortitos esse; primumque Diaconum genere Judæum, & patria Jerosolymitanum, Stephanum fuisse dictum? Nihil ergo ex eo capite repugnat, quatuor illos fuisse Pastores, Christi nascentis adoratores. Quamquam quot illi numero fuerint, nupsiam ego definivi, nec definiti quidquam interest.

CAPUT III.

De Magis Christi recens nati
Adoratoribus.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSI O III.

I. **R**Eges ne fuerint Christi recens nati adoratores, quos Magos textus Evangelicus vocat, quæstio est inter Sacrarum Scripturarum Interpretes celeberrima. Partem ego negantem amplectus sum Exercitatione 34. Eoque non Regie, sed vulgaris conditionis homines dixi; sapientia insignes Philosophos, maxime vero syderalis scientiæ peritos. Hæc mihi cum plerisque hujus ævi eruditissimis viris sententia fœdit, quam & rationibus non paucis ex Historia Evangelica petitis confirmavi.

Quid tu modo Censor egregie? Relictis cæteris omnibus, quibuscum mihi est causa communis, in me unum stilum acule, censuramque distingis, quasi me uno male multato de omnibus triumphares. Videamus itaque, quibus diverticulis, suffragiis, & anfractibus, rationum nostrarum momenta resolveris; tibi que feliciter cesserit, quod Melchioris Cano subtilitatem advocaris.

II. Ratio nostra prima hæc erat: Si regia dignitate cuncti fuissent Magi Christi nascentis adoratores, Matthæus illos nobis a nobilitati titulo designasset, nec simpliciter Magos dixisset, seu philosophos, & Syderalis scientiæ peritos, verum etiam Reges; sic enim & Christi nascentis gloriam, & donati palam honoris samam, ac celebritatem auxisset. Regium quoque apparatus, & comitatum, aut descriptisset Matthæus, aut inuisset, quo illustrior in Judæorum oculis fieret salutatio, gloriosior adoratio.

Ad

Ad ista quid tu? Non fuisse, respondes ex nomine & apparatu regio commendandos, qui Magorum sapientia & gravitate amplissime commendabantur: otiosamque fuisse, ad veritatis occultæ confirmationem, appellationem regiam, Magorum autem vocem præclaratam, & opportunam.

Belle id quidem excogitatum, merum tamen effugium est. Etsi enim ea Melchioris Cano observatio probet ut ut maxime, Magorum quam Regum titulum fuisse in Christi nascentis adoratoribus pluris æstimandum, illumque isti fuisse præferendum, non evincit tamen fuisse regium titulum penitus omitendum. Debuerat ergo uterque conjungi titulus, ad hunc sane modum, Ecce Reges Magi ab Oriente venerunt; si ipsa & Magi erant & Reges; ut ex Regum titulo celebritem haberet majorem adoratum, & ex Magorum titulo auctoritatem & confirmationem sibi integram conciliaret.

III. Ratio nostra altera hæc erat, ut adoratores illos non Regia, sed vulgaris conditionis homines probaremus. Herodes Magos illos alloquitur, tanquam inferioris conditionis homines, ac etiam pro incipio cum illis agit: Mirones eos in Bethleem dixit, ite & interrogat diligenter de puero, & cum inveneritis renunciate mihi. Itane quæso Orientis Reges missi sunt Herodes jussis etiam suis, ac mandatis oneratos? Quid tu vero? Herodiani factus indicium fuisse respondes, aut etiam Romanæ gloriæ & Majestatis, quod parum honorifice Reges exceperit. At quid hic Herodianus factus talis ac tantus prætextur: qui nullus aut certe minor in aliis ejus gestis deprehenditur? Aut quid Romana gloria atque Majestas in Herode ad inurbane adventantium Regum admissionis excusationem jactatur; quasi Romanus fuisset ille, ac non potius Romanis clientelari jure subiectus, & ab Augusto Cæsare non semel spretus atque contemptus. Ausim dicere, ne Augustulum quidem, ac ne Tiberium adventantes Orientis Reges, ita inurbane atque subultice excepturos fuisse.

IV. Rationes alia nostræ hujusmodi erant. Incredible est, Reges exteris in alienam ditionem ingressuros fuisse, nullis præmissis nunciis ac Legatis ad Herodem. Nec Herodes illorum ingressum de sacili permisisset. Quique turbatus dicitur, audito puveri Regis ortu, multo magis de Regum exterorum in Judæam inopinato ingressu commotus fuisset, statim atque illos novissis ingressos. Incredibile est longo multo, Reges quorum pro dignitate tantillus fuisset comitatus, Bethleem clanculum discedere potuisse, quin statim internovisset Herodes, sexto dumtaxat milliario degens. Nec juxta temporis moram expectanda fuisset Herodi, ut intelligeret, se a Regibus in Patriam per aliam viam reversis fuisse illulum.

A quibus rationibus nostris, quas nemo prudens fuit dixerit, non expedis te, hoc brevi dato responso, quod nullo apparatu regio aut comitatu iter suscepissent Christi nascentis adoratores. Cum & hoc potius incredibile videatur, Reges tres absque ullo apparatu regio & comitatu, longum iter ab Oriente in Judæam suscepisse. Unde qui Magos Christi nascentis adoratores, Reges fuisse perflatum habent, mirum, qualem & quantum comitatum & apparatus illis attribuant: quantum currum, Dromedariorum, & Camelorum multitudinem, quot equos veclaros, & Sarcinarios, quam frequens numerofumque satellitum! Quare qui hoc unum suffugium quæris, ut postremas illas nostras rationes eludas, pro principio ponis quod maxime contendas. Pro certo enim ponis, venisse illos sine apparatu, & comitatu; cum illud potius disputetur, sine credibile, illos sine comitatu, & apparatu venturos, si re vera Reges fuissent.

V. Nec te feliciter ab altero momento nostrò Serry Tom. III.

extricas, ex Veterum silentio petito: quod primus omnium Theophylactus, regiam Magis dignitatem attribuerit: qui certe nec probate auctoritatis, nec veneranda antiquitatis scriptor est; quippe qui sæculo dumtaxat undecimo floruit: Quod enim ex adverso reponis, Paschasium Radbertum, ætate aliquantulum superiorem (quippe qui vertate sæculo nono floruit) regiam illis dignitatem attribuisse, frivolum est. Tum quod regiam illis dignitatem probabiliter tantum, non certo tribuerit; tum quod frivolum argumentum probavit lib. 1. Commentariorum in Matthæum, ubi sic habet: In his regionibus ad Orientalem plagam Jerosolymorum, Magos reges existisse, nemo qui Historias legis gentilium, ignorat: quo profecto Reges eos fuisse opinamur. Ex hoc enim quod Gentilium historiarum fidem faciant, Reges Orientales, ac maxime Chaldaeos, Magos olim fuisse, hoc est, philosophos syderalis scientiæ peritos, non sequitur, ut Paschasius intulit, Magos omnes, atque illos maxime, qui Christum adoratum venerunt, Reges existisse. Ut si quis dixerit, Episcopos in Ecclesia latina Doctores esse, non inde sequeretur, quoscumque Doctores esse etiam Episcopos.

VI. Neque vero tua illa responsa, solvendis eludendisque rationibus meis excogitata, corroborat atque confirmat, Magosque Christi nascentis adoratores Reges fuisse probat vulgatum illud Regii vatis Oraculum Psalmo 71. in sacris precum Officiis, die sancto Epiphania recitari solitum; quo tu lectores tuos ludis, ut Magos fuisse Reges evincas. Quia de Magis ipsis adoratoribus non est peculiariter, & singulariter dictum; Sed de Regibus generatim & univèrse, populisque gentilibus ad veri Dei cultum tandem aliquando vocandis; cujus vocationis initia, hæc ipsa Epiphaniæ die ab Ecclesia celebrantur. Alias Magos illos adoratores, non qualescumque Reges dicere oporteret, sed Insulanos, Tharfenos, Arabes, Sabæos, ac etiam Æthiopes, immo nec certo numero definiendi essent, sed omnes in univèrsum eo numero comprehendendi. Cum ita propheta Regius vates: Reges Tharsis & Insule munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent; & adorabunt cum omnes Reges terre, omnes gentes servient ei.

CAPUT IV.

De Simone Cyrenæo Crucem
Domini bajulante.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSI O IV.

I. **N**ON longa mihi de Simone Cyrenæo, Christi Domini Crucem bajulante tecum contentio erit; cum una mihi dumtaxat occurrat Censoria adnotatio tua dispugnanda eo de Simone, Crucem Domini ferente. Sic scripsi Exercitatione 54. §. 2. Simonem hunc una cum Jesu, sociis humeris Crucem gestasse, non vulgi modo, sed & virorum non imperitorum error est. Natum inde errorem arbitror, quod Lucas Cap. 23. dicit, milites imposuisse Simoni Cyrenæo Crucem portare post Jesum. Hinc quippe æstimatum est, ambos satale lignum sociis portasse humeris, Christo præcente & partem superiorem ferente; sequente Simone, & partem inferiorem bajulante: uti pro more suo pictores effingunt. Verum reclamant Ecclesie Patres, Origenes, Sanctus Athanasius, Sanctus Augustinus, Sanctus Hieronymus, Sanctus Leo Magnus, Beda, Theophylactus, Euthymius, qui Crucem ex uno in alterum translatam

Hhh tam

tam referunt; Christusque onere liberum praeruisse, Simonem vero solum, eodem onustum processisse aperissime docent.

Tu sententiam hanc meam, tam multis Patrum testimonio confirmatam damnare cum nequeas; ne quid tamen reliquas intactas, ac sine censoria Virga praeteras observationem hanc meam, ad maiorem statuta veritatis confirmationem statim additam cavillaris: Quia & hoc ipsum (subiuncti) insinuant Mattheus, & Marcus, dum Simonem adactum ajunt, ut tollerent Crucem ejus. In textu enim graeco est verbum *επι*, quod non solum oneris lationem, ut ita loquar, seu portationem, sed oneris ex uno in alterum translationem significat. Quam tu observationem hac nota confisus. Id nulla nititur Lexicorum fide.

II. Admoitionem accipio, Censor mihi summe colende; da tamen veniam si a tuis Lexicis, in quibus nihil hujusmodi est observatum, ad sacrorum Evangeliorum contextum, de quo hic agitur, provocaverim; ut qua sit vocabuli hujus graeci vis, ac potestas investigem. Certe ubi patres in Evangelio loquendi formulas observo, in quibus oneris alicujus ex uno in alterum translatio, ac si ita loqui liceat, transportatio significatur: Ut Matthaei cap. 9. v. 6. Tolle lectum tuum, & vade in Domum tuam. Matthaei 14. v. 12. Tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud. Marci Cap. 2. v. 9. Surge, tolle grabatum tuum. Joannis Cap. 20. v. 2. Tulerunt Dominum de monumento, & vers. 13. Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum; toties verbum graecum *επι*, ad oneris translationem, & transportationem exprimentam, a Sacris Evangeliorum Scripturis usurpatum observo. Quidni ergo simile quidpiam significatum voluerint Mattheus & Marcus; dum Simonem adactum scripserunt, ut tollerent Crucem, quam ad exitum usque civitatis tulerat Christus: Nempe ut eam Simon ex humeris Christi ad foveam translata bajularet, ad Calvarium usque? Maxime cum Patres graeci idiomatis intelligentissimi, Origenes, Athanasius, Hieronymus eum esse hujusmodi loquendi formulam sensum apertissime declararint.

CAPUT V.

De Brutiis Christi Crucifixoribus atque Tortoribus.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO V.

I. Bruttiorum Vindicias adornas Sandine Juris utriusque Doctor meritissime, ne Christi ad Crucem a Pilato damnati tortores, atque carnifices, quales illos ego dixi, existisse existimentur: & Cardinalis Baronii, qui Bruttios ea liberare tentavit infamia, rationes atque momenta niteris instaurare.

Et quidem ego nonnullorum Eruditorum vestigia secutus, Bruttios extremi illius Italiae tractus incolae, qui nunc Calabria dicitur, Christi tortores atque carnifices fuisse dixi dissertatione 57. §. 6. Eo maxime momento nixus, quod ii, cum primi totius Italiae, a Romanis ad Annibalem defecissent, coacti sint ignominiae causa, Magistratibus in Provincias euntibus apparere; eisque operam suam in puniendis fontibus navare. Ex quo intuli, Pilatum Judaea procuratorem ac praefidem, ex more Romano, usum fuisse Bruttiorum ministerio, ad supplicia Christo Domino inferenda.

Baronius in Brutiis paulo humanior, duplici

momento illos ab ea infamia nititur liberare. I. Quod in Aegypto dixerunt a Brutiis ministrorum munus id esse; adeo ut Alexandrini, si forte plerumque essent, honoris causa non a Praefidum lictoribus, sed a popularibus sibi lictoribus, virgis cederentur. 2. Quod est alium Bruttii ejusmodi fuisse adscripti muneribus tamen postea id ceteris ejusque regionis militibus constat esse officium, ut ex lege, jussu Judicum fontes punirent. Quod Baronius testimonio Tertulliani confirmat, lib. de Corona militis.

Momentum ex illis primum ut resellerem ego, brevi verbo respondi: sit ita porro ut Baronius observat: quid hoc quae ad Christi flagella, & supplicia, ne & ipse a Brutiis caesus dicatur & crucifixus? Cum Christus Alexandrinus non fuerit, ut eo privilegio fruatur; nec in Aegypto caesus, & crucifixus, sed in Judaea. Immo inquit ego, si Alexandrinorum hoc erat proprium, ut non a Brutiis, sed a suis popularibus, cederentur; argumento est, ceteros, atque ita Judeos a Brutiis lictoribus, pro more, & usu Romanorum fuisse flagellis caesos, extremoque supplicio affectos, ubi esset lata sententia. Fatendum itaque bona fide, quod res est, semotisque regionum affectibus, id simpliciter asserendum, quod scriptorum omni exceptione majorum veritate comprobatum est, Bruttios Christi tortores atque carnifices existisse. Sic in Baronium momentum illud suum retorfi.

II. Quid nunc quae Bruttiorum Patrone; ut hoc idem momentum instares, nostrumque responsum infirmes; Audiamus, & boni patroni subtilitatem demitremus. Baronius, inquit, hoc solum dicit ex probabili conjectura, argumentando in hanc veluti formam: Non erat hoc commune omnibus populis imperio Romano subiectis, ut a Brutiis lictoribus cederentur: quia Alexandrini V. G. non a Brutiis, sed a suis tantummodo popularibus torquebantur: ergo dici in universum non debet, ubique Bruttios ad id muneris fuisse adhibitos. Ac proinde certo affirmari non potest Christi tortores Bruttios fuisse. Hoc solum dicit Baronius.

Na tu, Sandine, causam prodis, quam suscepisti, eamque mihi tradis imprudenter? Si enim quo sensu fingis, argumentatus est Baronius, ut nempe ab exemplo Alexandrinorum (qui non a Brutiis, sed a suis popularibus cederentur) patrem Judaeorum conditionem fuisse colligeret, ut & ipsi a suis popularibus, non a Brutiis cederentur, pessime omnium argumentatus est purpuratus Historicus. Res pater ipsa per se se. Quod enim Alexandrini non a Brutiis, sed a suis popularibus cederentur, ex privilegio erat, honoris gratia concessio, ut scribit Baronius ipse. Quid igitur id ad Hebraeos ex aequa ratione extenditur, quibus nulum erat honoris causa concessum hujusmodi privilegium? En tibi, velis nolis, primum Baronii momentum in gratiam Bruttiorum excogitatum, penitus eversum ac disturbatum.

III. Jam quod alterum spectat purpurati Historici momentum, quo ille maxime nititur, quodque tu a me dissimulatam queris quia nihil attuli, quo resellerem. Scito, nihil me ut resellerem attulisse, quod reselli non egeat, cujus utilitas se prodit ipsa per se se. Quid enim? Probat Baronius, fatale ministerium Brutiis ignominiae causa impositum olim a Romanis, secutis inde temporibus, cujusve regionis militibus cessisse, ut ipsi ex lege, Judicum jussu fontes punirent: Hincque colligit, nihil esse cur magis Brutiis, quam ceteris, Christo illate poenae atque Crucifixio adscribantur. Quis autem spuriam consecutionem non videat; nisi qua postea facta dicitur, cujusvis regionis militibus, feralis ministerii officio, ante Christi passionem, aut saltem illo patiente

CAPUT VI.

De milite Christi latus Lancea aperiente.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO VI.

I. Cum de milite qui lancea Christi latus aperuit, observassem Exercitatione 55. §. 6. eum ex sinistra graeci textus intelligentia, aut etiam incauta lectione, Longinum fuisse communiter dictum; lanceaeque nomen, qua confusum est Christi latus; in nomen militis incaute imprudenterque translatus esse: (propterea quod Joannes militis facinus his verbis expresserit *οτι οτι στρατιωτης λογιτι οτι λαυγατα ονομα*) censoriam illico virgam extendis: Hoc, inquit, minus caute videtur dictum. Sed quid quae id minus caute videtur dictum, quod a tam multis praestantissimis viris, & linguae graecae peritissimis ante me dictum est? a Gerardo Vostio lib. 2. Harmoniae Evangelicae, a Codro Ursao Sermone 10. a Joanne Talento libro 2. Theol. capite 9. quorum ibidem jam fuerant indicata Testimonia. Solutus ne tibi videor delirare, dum interim sapient quos secutus sum doctrinae duces? quamquam fuerim ego in ea fingenda sententia ducibus illis meis multo cautior, & moderatior. Quod enim uti certissimum tradiderunt, uti meram conjecturam exscripti: Ex sinistra, dixi, si bene conjicio graeci textus intelligentia natus est error.

II. Sed cur quae minus caute id a me dictum videtur? Quia, inquit, constat nomina ex variis rebus & actionibus, saepe hominibus fuisse imposita; ut propterea licuerit etiam Christianis, militem illum Longinum appellare *οτι οτι λαυγατα*, a lancea qua latus Christi apererat. Immo minus caute id a te dicitur minus caute apposite, ad censuram in me districta praesidentiam excusandam. Utrumque enim, ut vere dicis, alia de causa contingere potuerit, ut Longini nomen militi Christi latus perfodienti daretur a Christianis, non id tamen obest, quominus & hac quoque de causa, quam Viri graeci idiomatis intelligentissimi praesertunt, dari perinde poterit. Quare conjecturis utrinque semper relinquatur locus, quae nulla idcirco censura notari debeant.

CAPUT VII.

De Latrone penitente.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO VII.

I. DE hujus Latronis conversione sic scripsi Exercitatione 56. §. 6. Falsa est quae a Jacobo de Voragine Sermone 3. de Innocentibus, & a S. Vincentio Ferrero Sermone 4. majoris Hebromade memoratur conversionis illius causa. Quod nempe Christi de Cruce pendens umbra in illum, ad Septentrionem positum inclinavit; non item in alterum, qui cum penderet ad Austrum, a Christi corpore inumbrari non potuit. Quomodo enim ipso meridie, quo Christus in Crucem est actus, Latronem perinde sublimem attingere potuit salutaris umbra? aut quae illi ex Christi corpore inumbratio fieri potuit; si quod habet Evangelium, ab hora sexta usque ad nonam, hoc est a meridie ad horam inde tertiam qua Christus Spiritum Patri reddidit, tenebrae factae sunt super universam terram? Quibus in verbis me me variorum errorum incuras.

Hhh 2 fas.

ti ente contigisse demonstratur? Quod tantum abest ut probet Baronius, ut potius feralis hujusce ministerii cessionem, cujusvis regionis militibus factam, ad Tertulliani tempora procastinare videatur.

Videris tu quidem mihi, quod Baronii argumentationi desuit, supplere voluisse, palamque ostendere, jam tunc Christo Domino patiente, ferali Bruttiorum ministerium militibus cessisse; hac perbella, quam factas, observatione: quod ab Evangelistis, omnes Christi tortores, semper milites, nunquam lictores vocentur. At erras tu ipse longe turpissime. Nuppiam enim in Evangelio, qui Christo Domino supplicia, ex sententia judicum decreta intulere, (quod tortorum atque carnificum munus est) milites vocitantur: Quamquam habentur Judaei milites ad reorum custodiam, & publicum satellitium. Quae vero Christo Domino facta est, Coronae Spinæ impositio, expulso in faciem, alarum incussus, velis purpureae ad irrisionem circumpositio; Nemo nescit, totum id licentia militari factum esse, nec ex Pilati sententia fuisse decretum; quod idcirco publicis carnificibus, atque tortoribus ex officio faciendum incumberet.

IV. Sed quo te tandem contradicendi studium abripit, Sandine dilectissime, dum quod a Brutiis probum avertere conatus es tam infeliciter, in Gentem meam transferre conaris; non aperte quidem, sed occulte ac tecte: transcripta feliciter in appendicibus tuis, misselli cujuspiam Scribillatoris insulsa, & incondita lacinia, in qua Christi crucifixi dedecus Francis affingitur. Auctor, inquit, libri qui inscribitur, Diata, & interpretatioes parabolarum Sacrae Scripturae quest. 76. apud S. Athanasium Tomo 2. pagina 416. sic habet. Quidnam est, quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Responso gentes dicit, Romanos, Francorum videlicet genus, qui Christum crucifixerunt. Putasti forte Sandine, lectores tuos usque adeo bardos & cucurbitas fore, ut Francorum nomine Gallos intelligant; quo nomine nunc venire illi solent, atque ita Gallos populares meos, Christi crucifixores agnoscant. Quasi vero unus omnium ignoret, Francorum nomen omnibus ferme Occidentalibus, ac maxime Italis olim fuisse commune. Aut non ipsemet observare debueris, scribilitorem illum tuum, cujus laciniam tanquam Sibyllae folium ostentat, Francos illos, quos Christi crucifixores dicitur, Romanos, conceptissimis verbis appellare.

Certe si ea appellationis hujus laxitate liceret abuti, solosque Gallos Francorum nomine intelligere fas esset; quid non ego in Gentis meae gloriam ostentarem? fas esset propheticum illud jactare, quod Rabanus Episcopus Moguntinus, libro de Antichristo, inter apocrypha Divi Augustini tom. 9. memoriae prodidit, Saeculo nono. Quidam Doctores nostri dicunt, quod unus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integro venerit, qui in novissimo tempore erit, & ipse erit maximus, & omnium Regum ultimus. Qui postquam regnum suum feliciter gubernaverit, ad ultimum Jerusalem veniet, & in monte Oliveti sepulcrum, & coronam suam deponet. Hic erit finis, & consummatio Romanorum Christianorumque Imperii. Statimque secundum sententiam Apostoli Pauli, Antichristum dicitur futurum. At perspectum mihi est, Rabanum, Reges & Regnum Francorum pro eodem habere, cum Romano Imperio & Romanis Imperatoribus. Quare nihil propheticum illud ad Gallos, quaecumque tandem illud sit, de quo nuncuro.

Serry Tom. III.

fas. 1. Quod eam conversionis Latronis rationem a S. Vincentio Ferrerio allatam dixerim, quam tamen non attulit ille, sed ab aliis afferri dixit. 2. Quod S. Vincentium Ferrerium dixisse finxerim, Latronis corpus a Christi corpore fuisse inumbratum; cum is non a corpore Christi, sed a brachio Christi dixerit inumbratum. 3. Quod eam inumbrationem, dum Christus in Cruce penderet, impossibilem fuisse, inepte probarim. 4. Demum, quod immerito Jacobum de Voragine, S. Vincentio Ferrerio, in proferenda conversionis causa conjunxerim; cum aliam ille longe diversam rationem attulerit.

Expandamus itaque singula, videamusque quantum tu quaras diverticula, ut meam illam Exercitationem cavilleris. Ac primo quidem ad ipsos lectorum oculos provocho, an rationem illam, a S. Vincentio Ferrerio allatam dixerim, ac non potius memoratam? Memoratam inquam ex *ius devotus Doctores*, quorum verba distincte recitat, non a se ipso excogitatum atque probatum? *Falsa est*, scripsi ego, *que a S. Vincentio Ferrerio Sermonem 4. majoris Hebdomadae memoratur conversionis illius causa*. Quamquam si eam a S. Vincentio Ferrerio dixissem allatam nihil idcirco peccassem, nihilque sancto viro affinxissem: cum hanc ipsam *decororum Doctorem* rationem memorando probarim, feceritque suam.

II. Jam quod alterum, quod mihi affingis eratum, attinet: quid quæso ista duo collidunt: a *Christi corpore facta est inumbratio*; . . . a *Christi brachio facta est inumbratio*: ut diversum a Divo Ferrerio dictum retulerim ego, quam Ferrerius ipse dixerit. Quasi vero a Christi corpore factum dici non possit, quod a Christi corporis parte factum est. Non forte, te Iudice, inepte loqueretur, qui ramosam arborem inumbrasse hominem diceret, quem non arbor tota & integra, sed illius dumtaxat ramus aliquis inumbrasset. Pudeat igitur iis nugis & ineptiis lectores ludere: At nihil est quod palato tuo non sapiat, modo ad injuriam detorqueri possit.

Tertium quod a me putas erratum, dum Latronis a Christo de Cruce pendente inumbrationem impossibilem dixi, te multo certius errare probat, atque hallucinari. Audi Alphonsum Salmeronium, momentum hoc idem argentem Tomo 10. Tract. 40. *Si hora sexta Christus crucifixus est, ut ait Joannes, & ab hora sexta usque ad horam nonam, in qua Dominus expiravit, tenebre facta sunt super universam terram; umbra illi locus esse non potuit non existente luce*. Ecce vero si te audiamus, umbra brachii Christi Domini circa horam sextam, qua tenebre facta sunt, Latronem tangere potuit? Nempè quia, ut ais, non perinde sublimis utriusque Crux erat, sed Christi sublimior; adeoque poterat alter alterum inumbrare. Tum etiam quia, ut ais, conversus est Latio antequam tenebre fierent super terram; adeoque impedimento tenebræ illa esse non potuerit, quominus Salvatoris Christi Domini umbra Latronem tangeret, tangendoque converteret.

Verum utroque in capite erras tu turpiter, atque hallucinans. Et certe sublimiorem Christi Crucem fuisse, quam latronum, pictorum dumtaxat signum est; in iis quidem venia dignum: qui cum tres simul Crucibus affixos, penicillo soleant adumbrare, eum qui eo in theatro primas partes agebat, de sublimiori Cruce pendente effingunt. Non est tamen hæc Eruditorum opinio. Immo æqualis altitudinis, ac formæ fuisse tres Cruces, experimento tandem comprobatum est; dum ab Helena Constantini Matre inventæ sunt, humoque desolæ. Tanta enim trium similitudo

erat, æqualitas tanta; ut quæquam Christi fuisset non nisi Divina indicatione, hominis scilicet redivivi patratu miraculo potuerit innotescere. Ad hæc, etsi daremus, Christum ex altiori Cruce pependisse, non potuisset tamen Christi Corpus, aut ejus, si mavis, brachium dextrum, ante horam sextam, qua sol ad Occidentem nondum omnino vergebat, Latronem de Cruce pendente inumbrare; nisi cum juxta & proxime pendulum supponamus. Quod tamen an ita fuerit, nemo certe valeat definire. Uti etiam nemo certo affirmare audeat, priusquam tenebræ ab hora sexta terram occuparent, solem aere puro ac deterfo radios suos vibrasse; ut necesse esset, objecto unde vibrabantur corpore, umbram existeret.

III. Nec minus, altero in Capite hallucinans. Unde enim pro certo habes Latronem, antequam tenebræ fierent super universam terram, ad Christum fuisse conversum? Afferit id quidem Sanctus Leo Magnus Sermonem 51. quem laudas: at negant Patres alii bæc multi, qui Latronem, ex harum offaturam tenebrarum, solisque obscurati observatione, non minus quam aliorum Miraculorum consideratione, ad conversionem excitatum dicunt; Joannes Chrysostomus Oratione in Parasceve, & Homilia 2. de Cruce, & Latrone, Athanasius Sermonem in Parasceve, Hieronymus in Commentario ad caput 27. Matthæi, Clemens Romanus, aut alius quique auctor Constitutionum cap. 19. Theophilus Alexandrinus Epistola 2. Paschali, Auctor libri de operibus Cardinalitatis, sermone de Resurrectione, Theophanes Ceramæus in Expositione passionis Christi: quos omnes sibi anteponi, non agra tulerit Leo Magnus. Nec tibi suffragatur, ut exitimas, D. Lucas. Quod enim Latronis conversionem antea narrat, quam solis obscuritatem, tenebrarumque super omnem terram offusionem, non idcirco fuit, quia prius conversus est Latio, quam sol obscuratus, offusque super omnem terram tenebræ fuerint: sed quod omnia Christo patiente patratu miracula, simul enarranda iudicavit; eorumque narrationem, conversionis Latronis interjecta narratione, noluit interdici, ac perturbari. Neque enim solent Evangeliorum Scriptores, quascumque res narrant, ex ordine temporum enarrare. Quod sexcentis exemplis compertum est.

IV. De Jacobo de Voragine, quem a me falso citatum, & Sancto Vincentio Ferrerio, in ea salutari Christi de Cruce pendente Umbra prædicanda, sociatum quæris; dicam bona fide quid rei fuerit, quin fructum inde aliquem possis reportare. Cum mihi non esset ad manum Sermocinatoris hujus Opuscula, ea ex aliena dumtaxat fide laudavi: Theophili scilicet Raynaudi, *lib. de Metamorphosi Latronis*; qui in assignanda conversionis Latronis causa, S. Vincentio Ferrerio Jacobum de Voragine adjungit, sermonem illius tertium de *Innocentius* deligens. Quod tamen ut fontem adii, reperi esse falsum. Non est tamen cur fructum inde reportes aliquid: cum aliam Jacobus de Voragine conversionis hujus moralem causam assignet, peraque falsam, immo prorsus absurdam: quam haud fatis scio, an tu, qui eam syllabatum excris, approbare etiam velis. Cum, inquit ille, *in latrones inuissent (Maria & Joseph profugi in Ægyptum), qui eos spoliare volebant; unus eorum respiciens puerum ait, vere dico vobis, si possibile esset Deum incarnari, dicerem puerum istum Deum esse. Et sic socios suos induxit, ut eos illasos abire permitterent. Iste autem dicitur fuisse Latio, cui postea Dominus dixit, hodie tecum eris in Paradiso*. Nimirum in præstiti olim beneficii premium. Quis talia lectitando (quæ tu tamen serio transcribis) temperet a

rifu?

CAPUT VIII.

De prima Christi resurgentis Manifestatione.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSO VIII.

I. Primam Christi Domini a mortuis suscitati manifestationem, non Deiparæ Virginis, sed Mariæ Magdalena factam ostendi, Exercitatione 61. §. 7. probavi tum Marci testimonio Cap. 16. scribentis: *urgens mane Christus prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene*. Tum Ecclesiæ universalis auctoritate, in Sacris præcum officiis, festo illius die supplicantis: *Celsi meriti Maria, qua solem verum resurgentem videre meruisti mortalium prima*. Quo probato observavi, Rupertum Abbatem Turicensem, primam omnium Christi a mortuis suscitati apparitionem factam Deiparæ Virginis scripsisse; *nullo Sacrarum Scripturarum ac Patrum prælucente suffragio, sed nonnullis rationibus nixum, quarum subtilitatem ostendere facillimum est*.

Hanc tu observationem meam censoria virgula notas, transcripsitque Ruperti Abbatis verbis, quibus primam Christi a mortuis suscitati apparitionem, Deiparæ Virginis factam probat lib. 7. de Divinis officiis Cap. 25. ita in me de gravi supercilio sententiam profers: *Neque vero scripsit hæc Rupertus nullo Patrum prælucente suffragio, ut falso pronunciat Hyacinthus Serry Exercitatione 61. §. 7. Præluce enim S. Ambrosius lib. 3. de Virginitate, Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, & primo vidit: Vidit & Maria Magdalene, quamvis adhuc ista naretur. Præluce & Sedulius poeta, cuius verus sunt lib. 4. Operis Paschalis &c.*

II. At quidni verius reponam ego, nullo te prælucente iudicio, criterio plane nullo, sententiam in me tulisse, cum hæc ipsa, quæ mihi officii Ambrosii verba, nequidem intelligas: neciaque Sanctissimum Doctorem, de Maria Deipara Virgine minime loqui, dum Mariam Christi Domini resurrectionem primo vidisse, & credidisse ait. Noveris itaque Scientissimum Caput, eam Divo Ambrosio infedisse sententiam, singularem, ex iis religiosis Mulieribus, quibus Christus a mortuis rediit apparuit, duas existisse, eodem Magdalene cognomine nuncupatas; alteram quidem ad credendum pronam, alteram in fide natantem; quarum primæ Christus se primo visendum exhibuit. Quare nihil hic de Maria Virgine Deipara, ab Ambrosio dictum: Sed tu Nominis æquivoque turpiter lusus es. Ambrosium legito lib. 10. in Lucam ad caput 25. & tuum ipse errorem emenda, qui ceteros tam audacter erroris incusas. *Nescit una Maria Magdalena, secundum Joannem; scit altera Maria Magdalena, secundum Mattheum. Nam eadem ante scire, postea nescire non potuit. Ergo si plures Mariæ, plures fortasse etiam Magdalene; cum illud persone nomen sit, hoc locorum. Denique alteram esse cognosce. Altera permittitur pedes Domini tenere, tangere Dominum ista prohibetur. Illa Angelum videre meruit, hæc cum primo venit, neminem vidit. Illa Discipulis Dominum resurrexisse nunciavit, ista raptum esse significat. Illa gaudet, hæc plorat. Illi in gloria sua jam Christus occurrit; hæc adhuc mortuum querit: ILLA DOMINUM VIDIT, CREDITIT, HÆC NON POTUIT AGNOSCERE CUM VIDERET. ILLA FIDELI ADORABAT SPIRITU, HÆC DUBIO MOESTIFICABATUR AFFECTU*. Ex qui-

quibus postremis Ambrosii verbis, aliorum quae mihi ex lib. 3. de Virginibus obiecti, intelligentiam accipies; cum eadem ferme utrobique sint: *Vidit Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit: vidit & Maria Magdalena, quamvis adhuc ista nutaret. . . . Illa Dominum vidit, & credidit; haec non potuit cognoscere cum videret. Illa fidei adorabat spiritu, haec dubio maerificabatur affectu.*

Depone itaque supercilium Censor noster & o-for: noverisque meam observationem, quae tibi stomachum movit, Virorum eruditorum esse, a quibus accepisse, gloriosum mihi est. *Beate Virgini Christum apparuisse omnium prima, quidam asserunt. Id olim scripsit Sedulius poeta, & Rupertus libro de Divinis Officiis Cap. 25. Contra est Scriptura Sacra. Scribit enim Marcus Cap. 16. Magdalena primo Christum apparuisse, Exant apud Patres graecos, & Latinos accuratae disputationes super Christi apparitionibus post resurrectionem: & harum manifestationum numerum & ordinem sollicite investigat Sanctus Augustinus lib. 3. de Consensu Evangelistarum. Sed neque hic, neque alius, quisquam ex antiquis Patribus hujus apparitionis meminit. Natalis Alexandri observatio est in Synopsi Historiae saeculi 1. Cap. 1. art. 6.*

III. Jam quod Sedulium poetam attinet, quem Abbati Ruperto preluxisse ais, in asserenda prima illa manifestatione Deiparae facta; cum numquam fuerit ille Ecclesiae Patribus adscriptus, non est cur Alexander & ego, qui de solis Ecclesiae Patribus loquimur, de illius Musa solliciti simus. Cui & illud addiderim, non liquere omnino de Deipara Virgine Matre, Sedulium loqui potius, quam de Ecclesia fidelium omnium Matre; de cuius vocatione loquitur eo loco, & de Sinagogae abiectione, a Christo Domino facta.

CAPUT IX.

De humana oris, & corporis forma Christi Domini, ejusque Virginis Matris,

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO IX.

I. Scubi tricandi, & cavillandi sibi se prodiit, hic certe explicat se se ad pompam, ubi tamen minus carpendi ratio subest: Sed ut te diligentem & accuratum Censorem & Aristarchum exhibeas, vanamque de prostrato Serryo gloriolam captes.

Cum enim ego Exercitatione 48. in qua de humana oris, corporisque forma Christi Domini ejusque Virginis Matris, prolixè disputo, cum inquam delineata a Nicephoro Callixto Christi Domini imagini, quam is a Veteribus accepisse se jactat, fidem eo maxime titulo denegassem; quod nullus ille ex nomine appellaverit, aut appellare vere poterit, a quibus accepit; cum nulli unquam tam accurati, tanque diligentes Christi delineatores nota retro antiquitate inventi sint: harpagonem illico & uncum injicis: idque a me affirmari non posse ais, nisi totam antiquitatem cognitam habeam, nullumque ea de re monumentum aut latere, aut periisse, probe sciam.

Egregie scilicet, & argute! At dicito tu mihi, Censor egregie, totam ne antiquitatem cognitam habeas, qui fabellas quandoque rejicis, a recentibus somnatas, ex uno Sanctorum Patrum, veterumque Scriptorum silentio? Numve probe scias, nullum iis de rebus, quas aliquando negas, aut latere, aut periisse monumentum? Non est ergo, cur illud argumenti genus iniuciale derideas;

quo tam saepe utuntur probati quique Historici, qui accurato criterio aliorum narrationes expendunt, atque discutunt. Utcumque sit, illud mihi, & unicuique rerum istarum aequo axtimatori certum est, Nicephorum Callixtum, posterioris aevi Historicum, parum accuratum ac diligentem, plurimumque fabularum convictum, suos illos Veteres, a quibus delineatam Christi Domini imaginem accepisse se dicit, nominatim atque distincte laudatum fuisse, si & certae, & probatae auctoritatis extitissent.

Nae vero lectores ludis, qui ut verba mea commodius cavilleris, ea quo nomine pertinent, altute detorques; meque contra Nicephorum tuum disputare dicitas, septimo dissertationis hujusce paragrapho, ubi de Nicephoro ne cogito quidem; ut vel sic me inepte disputare convincas. Et quidem (ut factum exponam) Ego paragrapho illo septimo contendo, definiti modo non posse, quae fuerit Christi Domini Corporis forma, eo quod ad hanc usque diem non extant, quae fuerunt olim illius imagines, aut aere fusa, aut coloribus pictae; certoque non conseruisse illas ad vivum expressas. Id ut fuisse profectus sum, addidi, Eusebium lib. 7. Historiae Ecclesiasticae Cap. 18. scripisse quidem, visas a se Christi pictas imagines, ad tempus usque suam religiose servatas: Verum subjunxi ego, ubinam extant hodie, numve ad vivum expresse fuerint, ignoratur. Quo certe nihil ad institutum potest asseri disertius. Quid tu vero, ut me inepte disputasse convincas? Quasi vero, exclamas, quod hodie ignoratur, Nicephori aetate notum esse non poterit? Liceat hic mihi longe altius exclamare, quid istud ad oleas? Quid ad rem? Cum de nostra, non de Nicephori aetate disputaverim eo loco; nec quid ille scire poterit, sed quid nos ipsi possimus scire, quaesiverim.

II. Longe minus rem ipsam, de qua octavo subinde paragrapho disputavi, attingis, dum Augustinum a me contra Nicephorum praepostere citatum dicitas. Ut quid enim, Deus bone! falso citavi? Nempe, ais, quia dum Christi ejusque Virginis Matris faciem, innumerabilium cogitationum diversitate variari, dicit Sanctissimus Doctor, (unde nullas tunc fuisse colligebam eorum ad vivum expressas imagines) de variis illis locutus est simulacris, quo tibi quisque animo fingit, dum de Christo ejusque Virgine Matre cogitat, eorumque gesta vel dicta legit & audit; non de simulacris illis, formivae pictis, & imaginibus, quas Nicephorus a Veteribus accepisse se dixit. Sit ita vero, non de istis, sed de istis distincte locutus sit Sanctissimus Doctor: istas tamen; ex consequenti negavit aetate sua extitisse, quas a Veteribus accipere subinde potuerit Nicephorus Callixtus. Equis enim, amabo te, varia tibi fingat animo simulacra, formivae faciei hujus ipsius Herois, cuius expressam ad vivum imaginem, spiransque simulacrum viderit aliquando, quantacumque illius Heroica gesta vel dicta legit & audiat? Porro primum illud de Christo, ejusque Virgine Matre dixit disertissime Augustinus; alterum itaque necessaria consecutione negasse censendus est, quod cum priori stare non potest.

III. Nihil feliciter expedis te te ab altero a me producto momento, quo probavi, videtur posse, Eusebii aetate, Ethnicorum injuria periisse, quae ab ipso primum visa fuerant Christi Servatoris imagines. Sic ego momentum illud urgebam. Cum Constantia Licinii uxor ab Eusebio postulasset, ut ad se Christi Servatoris imaginem mitteret; is ea se importuna petitione liberavit, non posse iniquis fieri quod petebat: quia cum duplici natura constet Christus, divina scilicet & humana,

neutra natura exprimi potest: non divina, quam vana intelligentia consequitur, nedum exprimit penultimo: non humana, cuius mortalitas a gloria Divinitatis abstrata est. Cui ego epistolari rescripto hanc considerationem adjuxi. Itane quæso speciosa excolatione repulisset Augustam, si quae ab ipso visa fuerat Servatoris imago, etiam tunc extitisset? Aut enim petenti misisset si penes se habuisset; aut certe a quo alio haberi posset indicasset.

Quid tu modo ut nodum istum exsolvas, Vir subtilissime? Manifestum est, inquis, ita respondisse Augustæ semine Eusebium, quia profitebatur seclam Arianorum, seu Theopaschitarum, qui imagines Christi non admittebant. Cum Carnem Christi conversam esse in Divinitatem assererent; ab eamque causam nulla imagine exprimi posse arbitrarentur. Verum hoc tuo responso, nodum non solvis, sed diffrumpis. Quid enim, rogo te, Theopaschitarum imagines Christi non admittentium error, cum inurbana transmittenda imaginis recitatione [i] quæ tunc extitisset imago ab aliis saltem admittis] commune habet? Certe quemadmodum, quam profitebatur Eusebium, Theopaschitarum heresis nihil obavit, quominus lib. 7. Historiae Ecclesiasticae Cap. 18. visas a se diceret pictas Christi imagines, ad tempus usque suam religiose servatas, ab iis scilicet, qui eam heresim minime profitebantur; ita non obfuisse, quominus ad Augustam transmitteret aliquam, aut a quo haberi posset, indicaret; si quæ tunc hujusmodi imagines extitissent.

CAPUT X.

De Edeffena Christi Domini Imagine.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO X.

SUMMA tu libertate criminari innoxium, mihi que calumniam impingis, dum me Calauboni in criminanda Edeffena Christi Servatoris imagine, succedaneum & pedessequum dicitas, perbella illa marginali monitione curiosis lectoribus data: *Singulas criminationes, quibus in Edeffenam imaginem usus est Calaubonus Exercitatione 13. §. 31. & post eum Hyacinthus Serry Exercitatione 47. §. 9. luculenter confutavit Augustinus Calcagninus, de Imagine Edeffena, Observations 2. & 3. atque ante hunc Jacobus Gretserus in Synagmate de Imaginibus non manifestis Cap. 9. Ex quo perbello monito tuo lector incautus suspicari facile posset, Calcagninum & Gretserum, in me quoque, ad Imaginis Edeffene vindicias, calamum acuisse: quorum tamen alter antequam meas ego Exercitationes in lucem mitterem, observationes suas evulgaverat; alter antequam ego in vivis essem, in fata, si bene conjicio, concesserat. Utcumque sit de summis illis viris, quos summe colo & veneror, etsi illorum hoc de argumento lucubrations nufquam legerim: illud scito, nihil mihi hac in causa, cum Calaubono fuisse commune, & Edeffenam imaginem, nullis ut ille criminationibus onerasse. Is enim sacram illam Imaginem certo indubitanter ut fabulosam exploxit, multique facetiis lustravit. Ego vero imaginis hujus Historiam dubiam duntaxat volui, quam defendere ac propugnare non esset mihi animus. Mentem meam plus satis aperui, quam ut eam ignorare poteris. De reliquo, dixi sub initium paragraphi noni, dum binas Christi & Abgari litteras, totamque restituta per Thadeum Apostolum Regulo sanitatis narrationem, ab Eusebio, ex Edeffena Civitatis tabulario*

petitas defendimus, propugnantis; non perinde reliquas narrationis hujus appendices tueri nobis est animus; quas aliqui forte posterioris aevi Scriptores de suo addiderunt; nimique quam par erat credulitate commenti sunt: Ut Edeffenam Urbem Christi promisso inexpugnabilem esse factam, Christumque expressam lineo Imaginem suam, ad Abgarum illius cupidissimum transmisisse. Satisque mirari non possum, te in meum illud de ea Edeffena Imaginis historica narratione iudicium, tam servide declamare, qui ad illud tandem aliquando videris accedere. Postquam enim totum te excussisti, ut Historiam hanc contra Calaubonum tuearis, ac vindicias: eo tandem aliquando dilaberis, ut eam mere probabilem voces, quæ penitus convelli non debeat. Mirarer & illud multo magis te mordacibus me verbis incescere, litenque velut intendere, quod Imaginem Edeffenam dubiam, incertamque dixerim; eamque me tueri nolle significaverim; Viros tamen aetate nostra celeberrimos, de Ecclesia, de litteris benemeritos, intactos relinquere & inultos; qui & Imaginem Edeffenam, & scriptas mutuo Christi & Abgari litteras impugnaverunt, totamque Historiam ad quinquilias amandarunt, fabulæque totum Ætopam olesas. Id inquam mirarer, mirarenturque univervi, nisi omnibus exploratum esset, unum tibi Serryum oculos urere, quem cavillari quo jure quæve injuria aggressus es.

CAPUT XI.

De Imagine Veronica Vulgo dicta.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO XI.

I. Est mihi quod de te primo statim aditu conquerar, Censor ingenue, & simplicis veritatis amator. De Christi enim Imagine, quam vulgo *Veronicam* dicunt, sermonem intituens, hanc a me negatam dicis ore rotundo. Discipulum quippe tuum, quem edoces atque inlicitus, interrogans, suntne qui rejiciant hanc Imaginem? Illud ejus in ore responsum ponis: *Rejicit Hyacinthus Serry Exercitatione 56. §. 4. Negat enim ullam in his Mulieribus, quæ Christum comitarentur, Veronicam nomine extitisse, totamque ejus facti Historiam his verbis infirmat &c.*

Sume librum Sandine, oculos aperi, ac nisi eos tibi excæcavit invidia, mordendique libido, invenias primo in hanc ipsam Exercitationem oculorum conjectu, eam me Imaginem non negasse, historiamque totam non rejicisse, immo potius religioni duxisse, ne negarem atque rejicerem. Fertur, dixi, in piis illis religiosisque mulieribus, quæ Christum ad Calvarie locum pergentem comitabantur, unam extitisse, *Veronicam* nomine; quæ Sudarium Christo exhibens, ut faciem sudore & sanguine madentem abstergeret, hoc idem ab illo consecutum restitutum accepit, impressa vultus sui imagine insignitum. Audacior fortasse videar, si Historiam illam totam rejiciam, & exstulsem. Dicam tamen simpliciter quid rei sit, ut de ea iudicium quisque suum ferre possit. Id autem ubi dixi simpliciter, Veterumque de toto illo facto silentium adnotavi, factum ipsum ut assingis non negavi, sed in incerto duntaxat reliqui. Ex his omnibus, subjunxi, intelligere facile est, factum ipsum pia ac religiose Mulieris, Christo sudarium prebentis idemque Christi Imagine insignitum recipientis INCERTUM OMNINO ESSE; utpote quod seculo duntaxat undecimo vulgari cepit. Nomen vero *Veronica*, Mulieri huic attributum popularem prorsus errorem esse. Cum non mulieris, sed

sed Imaginis sudario, ut putatur, impresse nomen id est; si tamen exiit aliquando.

II. Quidni autem factum hoc, incertum dubiumque dicere mihi licuerit, quin tuis ego censuris subijciat, quod aut rejecerunt aperte, aut incertum dubiumque dicere ante me viri summi, de Ecclesia, de litteris benemeriti? Natalis Alexandri vox illa est, in Synopsi primi seculi art. 5. Rejicienda omnino sunt passiones Christi Domini Circumstantie, que in Scriptura Sacra, vel ex Traditione non habentur, nisi Ecclesia judicio probata sint. Ilius generis videntur ERUDITIS VIRIS, que de Veronica circumferuntur: Scilicet religiosam fuisse feminam Jerusalemitanam, que Christi crucem gestantis, atque ad montem Calvarie properantis, faciem videns impie tractatam ac deformatam propius accessit, capitisque velum detractum ei porrexit, quo faciem suam & creorem desluentem detegeret: Cui mox Christus Imaginem vultus sui, perfecte huic velo impressam, in amoris sui pignus atque monumentum reddidit. Expeditus Tillemontius Nota 33. in Hiram Christi Domini, Traditionem popularem appellat, nulla Veterum auctoritate sustam, ac profus incertam. Quin etiam, tua illa, que agglomeris posterioris etatis testimonia, ex Bollandi studiose corra, ut Historiam illam a Mariano Scoto primum narratam in Chronico, munias atque defendas, insufficientia omnino judicant, ut fidem apud eruditos integram faciant.

III. Una Mariano Scoto fidem conciliare poterit Methodii auctoritas, ex quo suam ille narrationem hausit ait; si magnus ille Methodius esset Tyriorum Episcopus, qui tertio seculo floruit. At eum non esse, ex summorum Virorum auctoritate, invictisque rationibus demonstravi. I. Quod nihil hujusmodi ejus in scriptis, qualia nunc extant legere sit. 2. Quod fabulas ex suo illo Methodio tendit Scoto, quas nota Sanctitatis, & eruditissimi Episcopi nemo tribuerit.

Quare memet stupor cepit ingens, dum pagina 282. legere contigit, hanc rejicienda Scotica Narrationis rationem, mei propriam esse. *Tertia ratio, inquis, propria est ipsius Hyacinthi Serry. Negat enim, Methodium, quem laudat Scoto, esse illum magnum Methodium Tyri Episcopum, quod nihil hujusmodi in scriptis ejus legere sit. Immo hac ipsa ratio, uti & altera laudatorum supra Scriptorum communis est; qui Mariani Scoti narrationem aut rejecerunt aperte, aut incertam ac dubiam reliquerunt. Tillemontius laudata jam notatione 33. in Christi Domini Historiam: Marianus Scoto cite ce qu'il dit de la Veronique d'un Methode, que Bollandus veut estre le grand S. Methode de Tyr. Mais c'est faire injure a ce Saint Martyr, que de luy attribuer les fables, que Marianus cite de son Methode. Il ne faut, pour cela, que voir cet endroit mesme; & Bollandus le reconnoit. Natalis Alexander eundem illum Methodium, a Mariano Scoto citatum, Tyriensem Episcopum negat esse, in synopsi primi seculi Art. 5. Marianus Scoto in Chronico ad annum 39. ex Methodio quodam hanc Historiam refert; quem Magnum Methodium Martyrem, Tyri Episcopum F. ALSO PUT. AT Bollandus in Commentario Historico de S. Veronica ad diem 4. Februarii. Non est itaque ea ratio Hyacinthi Serry propria, ut exprobras: sed summorum quoque Virorum, qui citatum a Mariano Scoto Methodium eundem illum esse, aut esse posse dissentent, qui tertio vertente seculo, Martyr, & Tyriorum Episcopus fuit. Non est itaque cur ita me dixisse peniteat.*

IV. Sed cujusmodi ratio illa sit, videamus, quibus tu momentis eam nitaris infringere. Duo ut summe profers: 1. Quia, inquis, auctores prestantissimi id ajunt constanter, quod Serry negat.

(addendum erat, & cum illo negant Scriptores quoque celeberrimi) 2. Quia ex magni Methodii Tyriensis Episcopi scriptis aliqua tantum fragmenta supersunt; a quibus licet abste Veronica Historia, in aliis tamen, que perierit, contineri potuit, & a Mariano Scoto transcribi. Verum & hac duo momenta facilius refelluntur, quam a te proferantur. Primum quidem, quia tui illi, quos longo ordine censes auctores prestantissimi, nullo critico examine expenderunt, citatum a Mariano Scoto Methodii testimonium: Methodiumque illum Tyriensem esse bona fide supposuerunt: quod alii ex adverso diligentissime conquieserunt. Alterum, quia qui jactatum Methodii testimonium rejiciunt ut apocryphum; non ideo tantum rejiciunt, quod in residuis modo Tyriensis Episcopi fragmentis non habeatur; verum etiam, quia alia non pauca, que ex suo Methodio Marianus citat, indigna sunt, que note Sanctitatis Episcopo, qualis profecto Tyriensis erat, tribuantur. C'est faire injure a ce Saint Martyr, que de luy attribuer les fables, que Marianus cite de son Methode, inquit doctissimus Tillemontius, loco paulo ante laudato.

V. Ceterum alias ne rationes meas, ex Sacrarum Scripturarum, Parumque omnium, Scriptorumque Ecclesiasticorum, ad undecimum usque seculum, alto silentio peritas, (ut Veterum Imaginis Historiam dubiam fatem ostenderem & incertam) fat bene confutaveris, dicant qui primas Historie, criticaque scientie leges norant. Quamquam enim ex unius Scripturae Sacre, paucorum Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum silentio, probari aliquid non posse, nemo dixerit cui, vel mica fallis in capite fuerit; Gravemque tu Grestero contra Calvinum, Hospinianum, Casaubonum, ceterosque Heterodoxos disputanti injuriam facis; dum ejus ita detorqueas argumenta, perverberas ac perperam accipis; ut ex generali Scripturarum, Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum silentio probari nihil posse, contendere videatur. Quod et ab ejus mente alienissimum, cum aliunde tam sepe fabellas vulgo jactatas eo momento rejiciat, quod alto Veterum omnium silentio sepulta sint.

CAPUT XII.

De Nominibus Genitorum Beatæ Virginis, Joachim & Anna, ex D. Augustino.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO XII.

I. DE nominibus, non de personis ipsis, genitorum Beatæ Virginis dubium movisse Exercitatione 18. §. 4. clarius est, quam ut probari modo necesse sit. Dubia in primis, dixi sub ipsum statim initium, incertaque sunt, que vulgo feruntur nomina genitorum Deiparæ Virginis, Joachim & Anna. Quod ubi fute probavi, subijuxi ad uberiorem mentis mee declarationem: (quod nempe non de personis ipsis, sed de nominibus tantum disputarem) Hec omnia nequaquam obesse possunt, quin Sanctissimi Deiparæ genitores solemniter ab Ecclesia celebrentur. At id enim nil plane refert, quo nomine vocarentur: uti tam multi coluntur martyres, quorum propria nomina nesciuntur. Quin etiam in ea propriorum illorum nominum ignoratione, mystice significationis nomina imponere illis Ecclesia potuit; & quidem Joachimum, alteram Annam nominare. Anna enim gratiam sonat, Joachimus preparationem Do-

mini: qui tituli sanctissimis genitoribus apprime congruant.

Hoc dato prelude, totam retro antiquitatem de nominibus, ac primitivis Sanctissimorum Genitorum nominibus dubitasse, ut evincerem, duo inter alia momenta protuli: alterum quidem D. Augustini, qui lib. 23. contra Faustum Cap. 9. Virum Manicheum, tanquam fabularum venditorem carpit, quod Sacerdotem quemdam nomine Joachim, Mariæ Patrem afferisset: alterum Divi Hieronymi, qui libro contra Helvidium Cap. 7. Deiparæ Patrem nomine Cleopham nuncupavit. Ex quibus intuli, nullam fuisse tunc certam in Ecclesia traditionem, que Deiparæ Patrem faceret nomine Joachimum.

Quid tu modo Censor egregie, ut bina illa momenta a me producta cavilleris? alia enim relinquunt intacta. Primum ex Augustino petendum sic arrodis, & mutilas pag. 313. Augustinum de parentibus Deiparæ, aliter quam ego sentiam, sentire existimat Hyacinthi Serry. Eum enim ab Ecclesie sententia fuisse abhorrentem ponit Exercitatione 18. §. 4. ubi ait, ab Augustino carpi Faustum Manicheum, quod Sacerdotem quonpiam nomine Joachimum, Mariæ Patrem afferisset. Quasi vero Augustinum ab Ecclesie sententia abhorruisse dixerim ego, aut firma fixaque Ecclesie sententia sit, Deiparæ Patrem proprio ac primitivo nomine Joachimum fuisse dictum, non appellativo, ut grammatici loquuntur, & ob mysticam significationem imposito, quod ego ex Augustini auctoritate dubium incertumque fuisse contendit.

Sed age videamus, qua tu perbella consideratione probes, me Augustini contra Faustum disputantis auctoritate perperam ubum esse, ut hoc Deiparæ Patris nomen dubium dicerem; Nullamque in Ecclesia fuisse tunc traditionem ostenderem, que Deiparæ Patrem faceret nomine Joachimum. Sanctus Doctor, inquis, Faustum non reprehendit, quod Mariæ Patrem appellaret nomine Joachim, sed quod diceret Joachimum hunc fuisse Sacerdotem ex tribu Levi; ac proinde Mariam non fuisse ex tribu Juda, & quod inde sequebatur, negare ortam esse stirpe David. Hoc unum, nihil sollicitus de nomine, negat S. Doctor. Hoc dicit non haberi in Litteris Canonicis; idcirco nulla se ad hoc credendum necessitate constringi. Perbelle id quidem ac vere dicit, Augustinum in ea adversus Faustum disputatione, non de ipso nomine Joachimini, sed de dignitate Sacerdotali, qua Deiparæ Patrem auctum fuisse, Faustus Manicheus fabulabatur, ex instituto disputasse. Id ultra tibi, citroque dono atque concedo. At si de eo Joachimini nomine, nihil ut ipse fateris, sollicitus fuit Sanctissimus Doctor; annon id argumento est, Augustinum hoc ipsum incertum tunc ac dubium habuisse? Absit enim ut hanc ipsam, quam tu Ecclesie sententiam vocas, neglexisset Sanctissimus Doctor, ac de illa nihil omnino sollicitus fuisset.

II. Quam recte autem, quam congrue, quam apposite, ex hoc ipso quem cavillaris Augustini loco (atque de quo mox dicam D. Hieronymi testimonio,) probaverim ego, quod mihi probandum assumpseram; nullam fuisse tunc traditionem in Ecclesia certam, que Deiparæ Patrem faceret ex proprio nomine Joachimum; ex Clarissimo Tillemontio, rerum istarum Doctore summo atque Magistro dicere poteris: si quod ad mei purgationem facere potest, querere libuisset: aut nisi tibi dolerent oculi, dum sponte occurrunt. Tillemontius enim hanc ipsam difficultatem agitanas de Patre & Matre Deiparæ Virginis, Adnotatione 2. in illius vitam, postquam duo illa D. Augustini, & D. Hieronymi testimonia, in quibus modo cavillaris, nate distinxit, & quid ex iis Serry Tom. III.

extendi possit diligenter examinavit, ita demum colligit: Il est visible par S. Augustin, & S. Jerome, que l'Eglise n'avoit aucune Tradition, que le Pere de la Vierge fut un Joachim... Ex D. Augustino, & Hieronymo manifestum est, Ecclesiam nullam tunc traditionem habuisse, que Joachimum quemdam faceret Virginis Patrem. Abi nunc Censor egregie, & doctissimus Tillemontium, quo nemo acutius, nemo subtilius critica difficultates etate nostra excussit atque distinxit, cæcum dicit, qui cæcum me in fossam duxerit, ipseque ceciderit.

CAPUT XIII.

De istdem Genitoribus, ex Divo Hieronymo.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO XIII.

I. E Adem hic aberras chorda, & quod in clarissimo Tillemontio reprehendere pudor erat, ne quis te nimis incufaret audacia, in me fidenter arrodis. Divum Hieronymum, inquis, existimasse in libro adversus Helvidium, Deiparæ Patrem fuisse Cleopham, tradit laudatus Theologus Hyacinthus Serry. Tamen si verba maximi Doctoris expendimus, apparet eum nihil hujusmodi definiturisse. E contrario vero Tillemontius nota 2. in vitam Deiparæ Virginis, idem omnino, quod ego, tradit aperte, tuamque censuram rejicit, & exultat. S. Jean, ait ille, donne pour Mer a la Vierge une autre Marie, qu'il surnome de Cleophas, parce que c'estoit, dit S. Jerome, le nom de son Pere, ou de sa famille, ou pour quelque autre raison, qui ne nous est pas connue. Ainsi ce Pere paroit n'avoir point été de difficulté a croire, que le Pere de la Vierge s'appelloit Cleophas: Hoc est: Divus Joannes Mariam alteram, cognomento Cleophas dictam, Mariæ Virginis Sororem attribuit: quia, ut inquit D. Hieronymus, hoc erat Patris, aut familia nomen, aut alia forte de causa nobis ignota. Atque ita apparet, Doctorem illum nihil cunctandum existimasse profiteri, Patrem Deiparæ Virginis Cleopham fuisse nominatum.

Qui tu tamen Censor egregie in medium afferis, ut tuam in me Censuram excules; meque Divi Hieronymi verba perperam interpretatum vindicandas? Hieronymus, inquis, eo in loco, libro scilicet contra Helvidium, Mariam Cleophas, quam facit Mariæ Virginis Sororem, ita dictam a Patre non opinatur, sed rem in suspensio relinquit. Ecce ejus verba: Restat conclusio, ut Maria ista, que Jacobi Minoris dicitur Mater, fuerit Uxor Alphaei, & Soror Mariæ Matris Domini, quam Mariam Cleophas Joannes Evangelista cognominat, sive a Patre, sive a gentilitate familia, aut quacunque alia de causa ei nomen imponens. Immo, inquit ego, opinatur vel maxime D. Hieronymus: tamen thesim illam suam (quod scilicet Maria Deiparæ Virginis Soror, a Patre Cleophas dicta sit) alteri forte thesi æqua veluti lance pendere videatur, que eam Virginis Deiparæ forem alia de causa nobis incognita, Cleophas dictam affirmat. Quid enim est, rogo te, Cavillator aliqua in re opinari, nisi eam putare sic esse, ut tamen aliter esse posse, aut aliter etiam fortassis esse, existimetur. In hoc enim opinio a certa scientia distinguitur. Quod ergo putaverit Hieronymus, alia forte de causa nobis ignota, Virginis Sororem Cleophas dici potuisse, quam ex patris ipsius nomine, non evincit profecto, non fuisse opinatum Doctorem maximum, eam ex Patris nomine fuisse sic nuncupatam.

111 II.

II. Ceterum nescio, an tua te, an potius mea me perspicilla fefellerint, dum ambo legimus Maldonatum, hac ipsa de re differentem in suis super Matthæum Commentariis, ad versiculum 26. Capitis 12. Tu enim in Marginalibus notis sub finem paginae 315. sic scribis: *Monoo, ne Maldonatum quidem, loco a Serry citato, dicere, Patrem Virginis fuisse Cleopham. Hoc enim solum dicit, Mariam Cleopha fuisse sororem B. Virginis. Id quod saepe dixit etiam D. Hieronymus. Ego vero ubi locum a me citatum recognosco, ita legere mihi videor: Mariam Cleopha filiam, Alphae autem uxorem, Joannes vocat Sororem Matris Domini Cap. 19. v. 25. Annon istud sonat, Patrem Virginis Deiparae fuisse Cleopham? Si enim Maria illa, Matris Domini Soror, Cleophae filia fuit, habuit profecto Cleopham Patrem: & si Cleopham Patrem habuit, eundem quoque Patrem habuit foror ejus Domini Mater. Et certe qui Mariam Domini Matrem, filiam Cleophae fuisse negant, seu quod idem est, Cleopham Patrem habuisse dissentunt, Mariam Cleophae vocatam a Patre perfracte negant; aliamque hujus cognominis causam obtundunt. Cum itaque Maldonatus eam a Patre suo cognominatam agnoscat; (*Mariam, inquit, Cleopha filiam*) consequens est, ex Maldonati mente atque sententia, eam una cum Sorore sua Deipara, Cleopham Patrem habuisse.*

Nihil ergo valet monitum illud tuum, ut a me falso citatum Maldonatum lectores intelligant; Sed contra potius, ut magis magisque persuasum habeant, temere te, & inconsiderate nostra omnia vel minutula vicilitigare, atque dirringere voluisse.

CAPUT XIV.

De anno quo Deipara votum Virginitatis emisit.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO XIV.

I. Ocasione eorum que scripsi Exercitatione 26. de voto Virginitatis a Deipara emisso, sic in me censoriam virgam exerces. *Hyacinthus Serry Exercitatione 20. §. 5. Cedrenum resellit, quod in compendio Historiarum scripsit, Deiparam Virginem anno etatis undecimo vovisse, viventibus adhuc, & consentientibus parentibus. At nihil hujusmodi reperias in Cedreni compendio Historiarum, ubi genus, formam, & vitam Beatae Virginis exponit.*

Erratum, si quod in me est, excusare facile possum, rem ipsam totam uti gesta est, simpliciter enarrando. Nempe dum eam de voto virginitatis ab Deipara emisso, Exercitationem eadem, Apparatum ad Annales Ecclesiasticos Cardinalis Baronii, in quo illud argumentum fufe admodum pertractatur, prae oculis habebam, in quo scriptum inveni: *Non putamus a veritatis via quempiam aberrare, si dixerit, Sanctissimam Virginem, antequam fuerit desponsata Joseph, parentibus scientibus nec dissentientibus, votum Virginitatis nuncupasse. Hæc autem si credimus Cedreno in Compendio Historiarum, qui undecimo anno etatis Virginis parentes ex hac luce subtrahos testatur, ante illorum obitum contigisse oportuit. Nempe & virginitatem vovisse, & parentes consensisse. Qua ego Baronii fide nixus, Cedrenum in Compendio Historiarum dixisse scripsi, Deiparam Virginem, anno etatis undecimo vovisse, viventibus adhuc & consentientibus parentibus.*

II. Annon id ex toto Baronii contextu sponte fluit? Si enim anno etatis undecimo Virgo Deipara parentes amisit, eademque parentes suos voto suo habuit consentientes, (que duo Cedrenum testari Baronius dixit) annon necessario consequitur, Virginem Deiparam anno etatis sue undecimo virginitatem vovisse, parentibus viventibus & consentientibus? In Baronium igitur Censorium virgam exerces, non in me, qui Baronium eo in capite dumtaxat exscripsi, & Cedrenum ex illius fide laudavi. At tuum in me unum fervet cavillandi pertinax studium: Cæteri quidquid etiam contra te scripserint comiter absolvuntur. *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum: Proverb. caput 20. v. 10.*

CAPUT XV.

De Virgine artem honestam ad quæstum exercente.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO XV.

I. Exercitatione 45. sub finem scripsi obiter; *Virginem Deiparam honesto artificio, sibi & filio vite necessaria comparasse, non secus ac Joseph: que idcirco quaestuarium, hoc est, artem ad quæstum exercens dicitur a Tertulliano libro de Spectaculis, & a Divo Hieronymo Epistola 1. ad Heliodorum.*

Id tu carpis studiosus eruditionis grammaticæ ostentator. *Quod Theologus Serry scribit Exercitatione 45. §. 7. Mariam iccirco quaestuarium dicitam a Tertulliano in libro de Spectaculis cap. 30. & a Divo Hieronymo Epistola 1. ad Heliodorum, quod artem ad quæstum exerceret, id non videtur facere ad rem. Uterque enim latine loquitur, & ex sensu adversariorum. Latinis autem, ut Seneca lib. 5. de Beneficiis cap. 32. Ulpiano Digestorum lib. 3. atque adeo Tertulliano ipsi Quaestuarium est, que quaestum corporis facit.*

Gratulor Sandine sublimem latini sermonis intelligentiam, ex domestici Dictionarii lectione comparatam; in quo ad vocem *Quaestuarium* sic habetur. *Quaestuarium, ia, um. Quod ad quæstum spectat. Seneca libro de Beneficiis cap. 32. Augusti filia ex adultera in quaestuarium versa; hoc est, quæstum corporis faciens. Leg. 4. ff. de his, qui not. infam. Lenocinium facit, qui quaestuarium mancipia habuerit.*

Alit scire velim abs te, unde habes, Tertullianum & Hieronymum (quos latine locutos non ignoro) vocem *quaestuarium*, pressa illa & eleganti significatione, prophanis Scriptoribus familiari usurpasse, dum quam habentem Judæi de Deipara Virgine opinionem memorarunt? ac non potius vulgari communique sensu accepisse, quo vox illa Mulieribus & Viris perinde accomodatur, qui aut que quæstum gratia artem aliquam exercent, etiam honestam, scelerisque puram? Certe si pressa illa, & eleganti significatione vocem *quaestuarium* usurparunt Tertullianus & Hieronymus, dum Judæorum de Beata Virgine opinionem memorarunt, Judæos eo sceleris onerarunt, cujus rei fuerit nusquam. Quamquam enim, ut ex Evangelio discimus, eo impietatis & nequitiae Judæi venerint, ut Christum Samaritanum dicerent, demone correptum, Seductorem, Sabbathi violatorem; nusquam tamen illos eo blasphemiae prorupisse legimus, ut Christo ejusque patri Josepho, quidquam etiam per calumniam exprobrarint, quod in illius Matris libibatae atque castissimæ injuriam

cæderet, illiusque Virginitatis honorem vel levissime læderet. Aut ergo Tertullianum & Hieronymum Judæorum calumniatores fuisse dicendum est; aut *quaestuarium* vocem pressa illa & eleganti significatione non usurpasse; dum Deiparam Virginem a Judæis *quaestuarium* appellatam memorarunt.

II. Sed ais: *Sciebant Judæi, Joseph voluisse uxoris sue munus veniunt. Verisimilius igitur est, eos probri & contumelie causa, Mariam quaestuarium eo sensu vocasse, quod quæstum sui corporis faceret.*

Turpe dictu, scædum auditu! Quo te rapit Sandine cavillandi libido, & insanum vitiligandi cacochæthes? Pudet me ista refellere in quibus eras etiam longe turpissime. Tantum enim abest, ut quæ Josephi mentem subierat levissima cogitatio, de Maria conjugæ dimittenda, (antequam Spiritu Sancto sextam sciret) Judæis innoverit, vade illi calumniandi & infamandi anam arripere possent, ut eam potius solus tunc novit scrutator cordium Deus. Nec eam secutus inde temporibus, sublato e vivis Josepho, Christiani ipsi scivissent, nisi Deus, scripto per Matthæum Evangelio, manifestasset cap. 1. v. 19. *Voluit occulte dimittere eam.*

III. Addiderim ad uberiorem ineptissimæ objectionis de voce *quaestuarium* factæ solutionem: Tertullianum, qui suorum sæpe verborum fabricator & hictor est, vocem illam quandoque usurpasse in alium longe sensum, quam tuus usurpaverit Ulpianus, aut Seneca. Nempe ut rem ipsam significat, ex cujus nundinatione fit quæstum. In Apologetico cap. 13. ubi Gentiles irridens, quod ex Deorum suorum nundinatione quæstum facerent, *Deorum majestatem quaestuarium ab eis factam exprobat, Deosque venales.* Ut hinc videas, quam parum de stricti vocis hujus significatione curandum sit, ubi de Tertulliani mente, in illius usu, quæstio venit.

CAPUT XVI.

De Morte Deiparae.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO XVI.

I. QUÆ fuerit D. Epiphanius mens, atque sententia de morte Deiparae Virginis, paucis, exposui Dissertatione 66. §. 2. De morte Deiparae, dixi, *primus omnium dubium movit Divus Epiphanius Hæresi 78. non eam quidem perfracte negans; sed ut negare, ita affirmare non audens, ob silentium videlicet scripturarum. . . . Quam elumbis ratio illa sit, qua in eam dubitationem adductus est Epiphanius, nemo non videt, &c.*

Tu ad vellicanda quæcumque scripserim ego, totus intentus, me ob id unum inverecundum appellas, parumque modestum. *Explicat, inquit, Epiphanius Baronius, & ab eo dissentit quam modestissime: quod non præstat Hyacinthus Serry, qui elumbem vocat rationem Sancti Epiphanius; & ipsum Sanctum Epiphanium audaciam notat Exercitatione 66. §. 2. & 3.*

Verum a te tuique similibus provoco Censor egregie; Eruditorumque omnium criterium interpellor, an ideo modestiæ fines excefferim, numve mitius de ea D. Epiphanius ratione, quæ ex solo Scripturarum silentio petitur, judicium ferri possit, quam quod *elumbis* dicatur esse? Certe cum nullo pacto Deiparae mors in Evangelio narrari possit, quod Christi dumtaxat Historiam conti-

Serry Tom. III.

net, ad ipsius in Cælos assensum: cum etiam multo minus in Actorum libro commemorari commode possit, qui Apostolorum dumtaxat gesta complectitur; omnium quidem in commune ad dispersionem usque, tum speciatim Petri & Pauli, ad annum circiter Neronis quartum, Christi vero Sexagesimum tertium: quod futitius, ut mitius loquar, quam Deiparae Virginis mortem, in dubium vertere, ob id unum, quod in sacris illis Codicibus non legatur?

II. Quid autem est, quod me immodestum insuper dicis, quia ipsum D. Epiphanium audaciam notavi Exercitatione 66. §. 2. & 3. Ubinam per fidem Numinum, quibusve verbis, hanc in Virum Sanctissimum injuriam immisi? Anceps hæreo, num id dormiens scripseris, an potius mei me oculi fallant. Postquam enim me totum excussi, binosque quos citas paragraphos legi, terque quaterque relegi, ne verbum quidem occurrerit, quo eam Divo Epiphanio audaciam notam innuissim. Forte ne illam in divum Epiphanium a me factam injuriam existimasti, quod paragraphum tertium his verbis adorsus sim: *Nonnulli Epiphanio secutis temporibus audaciores, Deiparae mortem non modo in dubium vertere, verum etiam perfracte negare ausi sunt; quos longo ordine persequens Franciscus Macedo? Sicque ex grammaticæ regulis arguatur tibi placuit: Comparativus gradus supponit positivum: Theologus Serry Auctores Virginis mortem perfracte negantes Divo Epiphanio audaciores dixit: audacem itaque dixit, atque suppeditavit Epiphanium? Si sic est Sandine, ut auguror, sicque tibi placuit arguatur, ut me illata D. Epiphanio injuriæ ream ageres, non jam a judicio tuo ad eruditos Theologos provoco, sed te te ad infirmæ Scholæ Magistros amando, ut de gradu comparativo grammaticæ regulas dicas: ex quibus intelligas, non semper comparativum gradum, in pura & eleganti elocutione, supponere positivum, sed plerumque negare, eidemque contraponi. Sic Cicero Oratione pro Ligario, causam Ligarii meliorem dicit, quam Tuberonis; quamquam & ista mala esset. Sic Titus Livius lib. 2. Hist. Cap. 26. prælium segnius gestum negat, altero tamen generose gesto. Et Cap. 37. Quintium leniorem dicit Appio, quam paulo antea seivum dixerat. Et lib. 7. Cap. 18. Valerium Tribanum militum, adolescentem haud indigniorem eo decore dicit, quam Titum Manlium, quem paulo antea eo quoque dixerat valde dignum. Sic & Virgilius lib. 4. Aeneid, Aeneam comparans cum Apolline eunte celeriter, ait, haud illo segnioribat Aeneas. Quorum omnium exempla secutus ego, Scriptores Deiparae mortem perfracte negantes, audaciores dixi comparate ad Divum Epiphanium, non quidem audacem ut flagis, sed contra timidum nec audentem. Quod ipsemet observasses, si locum ipsum, quem arrodas, diligentius observasses. Sic enim scripsi: *De morte Deiparae primus omnium dubium movit Divus Epiphanius. . . . mortuam affirmare non audens. . . . Nonnulli Epiphanio secutis temporibus audaciores, non modo in dubium vertere, verum etiam perfracte negare ausi sunt.**

Define itaque querelaram: neque immodestum ne dicito, quasi D. Epiphanio audaciam notam affricerim: quem contra potius ausum non esse dixi, Virginis Deiparae mortem negare; quam recentiores aliqui perfracte negarent.